

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XLVIII. Continens Historiam Alterius Sabbati, In Quo Propter  
Sanatam Manum Aridam, Iterum Orta Fuit Concertatio, De Sanctificatione  
Et Violatione Sabbati, Matthæi 12. Marci 3. Lucae 6.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

Quintum argumentum, sicut & primum, communiter à tribus Evangelistis recitatur (*Dominus est filius hominis & sabbati.*) Sed Lucas illud ponit absolute, ut non dependeat ex superioribus, hoc modo: (*Et dicebat illis, quòd filius hominis Dominus sit sabbati.*) Matthæus illativè illud annectit, probans discipulorum innocentiam hoc modo: (*Non damnassetis innoxios, nam Dominus est sabbati filius hominis.*) Marcus verò infert illud ex præcedenti. Sabbatum factum est propter hominem, (*Itaque Dominus est filius hominis & sabbati.*) Ob quam illationem Marci quidam hanc sententiam exponunt in genere de omnibus hominibus: quòd quisvis filius hominis sit non servus, sed dominus ceremoniarum & sabbati. Sed simplicior est explicatio, ut postremum, præcipuum & fortissimum argumentum quo discipulorum factum defendit, sit sumptum à potestate & auctoritate Messia, qui vulgò filius hominis appellabatur. Ac quia additur conjunctio (*Est Dominus & sabbati.*) insinuatur aliud: vel juxta Marci connexionem, cum Messias sit Dominus hominum & eorum quæ ad hominum utilitatem & salutem pertinent, quòd ideò Dominus sit etiam sabbati, quòd propter hominis utilitatem & sanctificationem ordinatum est: vel juxta Matthæi illationem, cum Messias sit Dominus sacrificiorum, omnium cere-

moniarum & totius Legis, quòd ideò etiam sabbati Dominus sit, qui pro sua auctoritate, sicut alias ceremonias legales, ita etiam sabbatum moderari possit. Atq; ideò non esse violationem sabbati, quando vel ipse operatur aliquid, vel alios jubet aut permittit aliquid operari; cum ejus officium sit, atque ideò in hunc mundum venerit, ut credentes à servitute Legis & à necessitate ceremoniarum redemptos in veram libertatem vindicet. Atque inde & hoc modo ipsi etiam credentes in Christo sunt non servuli, sed domini & ceremoniarum & sabbati. Simul autem hac sententia ostendere voluit Christus, Legem ceremonialem de sabbato non esse perpetuam & immutabilem: sed Prophetas prædixisse, fore ut adventu Messia abrogaretur. Ille enim Dominus est sabbati. Id quod postea factum esse Paulus ostendit Colof. 2. v. 16. & 17. Ex hisce argumentis extrui potest integra methodus doctrinae seu explicationis de sanctificatione sabbati; imò de omnibus ceremoniis, & de toto externo cultu. In nullo verò Scripturæ loco fundamenta doctrinae de sabbato simul ita collecta extant sicut in hac historia, quæ ideò diligentius observanda est. Et Evangelistæ, expositis semel fundamentis, in reliquis de sabbato disputationibus breviores erunt.

C A P U T XLVIII.  
CONTINENS HISTORIAM ALTERIUS SABBATI, IN  
QUO PROPTER SANATAM MANUM ARIDAM, ITERUM  
ORTA FUIT CONCERTATIO, DE SANCTIFICATIONE  
ET VIOLATIONE SABBATI, MATTHÆI 12.

MARCI 3. LUCÆ 6.

RATIO ORDINIS

*Et circumstantiarum.*

**Q**uòd hæc historia in ordine Harmonia proxime post præcedentem sit subjungenda, de eo nulla potest esse dubitatio. Evangelistæ enim omnes in eo consentiunt. Et quòd ad rationem locorum attinet, certum est, non Hierosolymis, sed in Galilæa historiam hanc factam. Non enim templum, sed synagogam ingressus scribitur. Et mox mentio fiet Herodianorum. Nec dubium est in ditione Herodis Galilæam fuisse. Quòd verò ad tempus attinet, Matthæi descriptio ita generalis est, quasi eodem sabbato, quo prius, etiam hoc contigerit. Sed Marcus particula (*καὶ ἄνω, rursus,*) vel iterum, alio tempore hoc factum esse subindicat. Lucas verò expressam addit notationem: factum esse (*ἐν ἑτέρῳ, in alio quodam sabbato.*) An verò fuerit sabbatum, quòd proxime post festum Paschatis, vel post sabbatum secundo

primum secutum est, non potest certò statui. Ratione quidem itineris fieri hoc potuisset, Lucas verò non dicit in proximo sabbato, sed *ἐν ἑτέρῳ, in alio quodam sabbato.* Nec verò repugnantia aliqua est, quòd Matthæus scribit, Pharisaeos interrogasse Dominum. Apud Marcum verò & Lucam legitur, Dominum interrogasse Pharisaeos. Ita enim, juxta Augustinum, disponendæ sunt circumstantia historiae, quòd Pharisei, juxta Matthæum, prius interrogarint Dominum: Is vero, cum cogitationes ipsorum, occasionem criminandi quarentium, intelligeret, in medio constituerit sanandum, & vicissim quaestionem proposuerit, quam Marcus & Lucas describunt: quaestionem quaestione solvens. Tunc verò ipsis tacentibus, Dominum proposuisse similitudinem de ove, & quæ sequuntur: sicut in Harmonia patebit.

HISTORIA DE SANATA MANU ARIDA  
IN SABBATO.

MATTH. 12.

9. Καὶ μετὰ τὰς ἐκείθεν, ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν.

10. Καὶ ἰδὼς αὐθροῦσθ' ἦν τὴν χεῖρα ἔχων ξηρὰν. καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν λέγοντες. εἰ ἐξέστι τοῖς σάββασι θεραπεύειν, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ.

9. At progressus illinc, venit in synagogam illorum.  
10. Et ecce homo erat manum habens aridam, & interrogabant illum, dicentes: Licetne sabbatis curare? ut accusarent eum.

11. 63

- 11. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· τίς ἐστὶν ἐξ ὑμῶν ἀνθρώπων, ὃς ἐξήρατο τὸν ἐν, καὶ εἰάν ἐμπέσῃ τὰτο τοῖς σαββάσιν εἰς βόθυνον, ἢ κρητὸν αὐτὸ καὶ ἐγείρει;
- 12. Πόσω ἢ διαφέρει ἀνθρώπων· ὡσεὶ ἐξέσι τοῖς σαββάσιν καλῶς ποιεῖν.
- 13. Τότε λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου, καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεσάθη ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη.

MARC. 3.

- 1. Καὶ εἰσῆλθε πάλιν εἰς τὴν συναγωγὴν, καὶ ἦν ἐκεῖ ἀνθρώπος ἐξηραμμένῃ ἔχων τὴν χεῖρα.
- 2. Καὶ παρετήρην αὐτὸν εἰ τοῖς σαββάσιν θεραπεύσει αὐτὸν, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτῷ.
- 3. Καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ τῷ ἐξηραμμένῃ ἔχοντι τὴν χεῖρα, ἔθερον εἰς τὸ μέσον.
- 4. Καὶ λέγει αὐτοῖς· ἐξέσι τοῖς σαββάσιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σώσαι, ἢ ἀποκτείνειν; οἱ δὲ ἐσιώπων.
- 5. Καὶ περιβλεψάμενος αὐτὰς μετ' ὀργῆς, συλλυπέμενος ἐπὶ τῇ πενίᾳ τῆς καρδίας αὐτῶν, λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου, καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεσάθη ἡ χεὶρ αὐτῆς ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη.

LUC. 6.

- 6. Ἐγένετο δὲ καὶ ἐτέρῳ σαββάτῳ εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν συναγωγὴν, καὶ διδάσκειν, καὶ ἦν ἐκεῖ ἀνθρώπος, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἡ δεξιὰ ἦν ἕρπυλα.
- 7. Παρετήρην δὲ αὐτὸν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι εἰ ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύσει, ἵνα ευρωῖσι κατηγορεῖν κατ' αὐτῷ.
- 8. Αὐτοῖς δὲ ἰδὴ τὰς διαλογισμὰς αὐτῶν, καὶ ἔπε τῷ ἀνθρώπῳ· τὴν ἑμὴν ἔχοντι τὴν χεῖρα, ἐγείρε, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, ὃ δὲ ἀναστὰς ἔστη.
- 9. Εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτοὺς· ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι· ἐξέσι τοῖς σαββάσιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σώσαι, ἢ ἀπολέσαι;
- 10. Καὶ περιβλεψάμενος πάντας αὐτὰς ἔπε τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου, ὃ δὲ ἔποίησε, καὶ ἀποκατεσάθη ἡ χεὶρ αὐτῆς ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη.

- 11. At ille dixit eis: Quis erit ex vobis homo, qui habebit ovem unam, & si ea incidit sabbatis in foveam, nonne apprehendet eam & eriget?
- 12. Quanto igitur prestantior est homo ovis? Licet igitur sabbatis beneficio officere:
- 13. Tunc dicit homini: Extende manum tuam. Et is extendit. Ac restituta est sanitati, sicut altera.

- 1. Et introivit iterum in synagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum.
- 2. Et observabant eum, an sabbatis sanaturus esset eum, ut accusarent illum.
- 3. Et ait homini habenti manum arefactam: Surge in medium.
- 4. Et dicit illis: utrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? an animam servare, an occidere? Ipsi vero silebant.
- 5. Et cum circumspexisset eos cum iracundia, condolens super cecitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illius sana ut altera.

- 6. Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in synagogam, ac doceret. Eterat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.
- 7. Observabant autem eum Scribae ac Pharisei, an in sabbato sanaturus esset: ut invenirent unde accusarent eum.
- 8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum, & ait homini, quæ habebat manum aridam: Surge & sta in medio. Ille vero surgens fecit.
- 9. Ait igitur ad illos Jesus: interrogabo vos aliquid, utrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? an animam servare, an perdere.
- 10. Et circumspicentibus omnibus illis, dixit homini: Extende manum tuam. Ille autem fecit, & restituta est manus ejus sana sicut altera.

HARMONIA HISTORIÆ DE MANU ARIDA IN SABBATO SANATA  
 EX DESCRIPTIONIBUS, MATTH. 12. MARC. 3. ET LUCÆ 6.  
 IN UNUM CORPUS COAGMENTATA.

a Καὶ μετὰ τὸ εἶπέν, ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν. c Ἐγένετο δὲ καὶ ἐν ἑτέρῳ σαββάτῳ, εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν συναγωγὴν, καὶ διδάσκειν, καὶ αἰδὲ, ἰδὲ ἐκεῖ ἀνθρώπος, c τὴν χεῖρα ἔχων ἕρπυλα (h) βεξηραμμένῳ, c ἡ χεὶρ (d) αὐτῆς ἡ δεξιὰ ἦν ἕρπυλα. h καὶ παρετήρην αὐτὸν c οἱ γραμματεῖς, c οἱ Φαρισαῖοι, h εἰ τοῖς σαββάσιν, θεραπεύσει αὐτὸν, c ἵνα ευρωῖσι κατηγορεῖν κατ' αὐτῷ, (d) b ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτῷ. a καὶ ἐπερωτήσῃ αὐτὸν, λέγοντες· εἰ ἐξέσι τοῖς σαββάσιν θεραπεύσει; ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτῷ. c αὐτοῖς δὲ ἰδὴ τὰς διαλογισμὰς αὐτῶν, h καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ τῷ ἔχοντι τὴν χεῖρα, ἐγείρε, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον. c ὃ δὲ ἀναστὰς ἔστη. h εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτοὺς. c ἐπερωτήσῃ ὑμᾶς τί, h ἐξέσι τοῖς σαββάσιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σώσαι, ἢ ἀπολέσαι; b ἢ ἀποκτείνειν; οἱ δὲ ἐσιώπων. a Ὁ δὲ ἰδὴ τὰς διαλογισμὰς αὐτῶν, ὃς ἐξέσι τοῖς σαββάσιν εἰς βόθυνον, ἢ κρητὸν αὐτὸ καὶ ἐγείρει; h πόσω ἢ διαφέρει ἀνθρώπων; c ὡσεὶ ἐξέσι τοῖς σαββάσιν καλῶς ποιεῖν. h καὶ περιβλεψάμενος πάντας αὐτὰς, μετ' ὀργῆς, συλλυπέμενος ἐπὶ τῇ πενίᾳ τῆς καρδίας αὐτῶν. a τότε

a Et progressus illinc, venit in synagogam illorum: c factum est enim & in alio sabbato, ut intraret ipse iterum in synagogam, ac doceret. Et ecce, erat ibi homo c manum habens a aridam (sive) b arefactam: (nam) c manus ejus dextra erat arida, h Et observabant eum c Scribae & Pharisei h an in sabbato sanaturus esset b eum, c ut invenirent accusationem adversus ipsum, b & accusarent eum. a Et interrogabant illum dicentes: Licet ne in sabbatis curare? ut accusarent eum. c Ipse vero sciebat cogitationes eorum, h & ait homini habenti aridam seu arefactam manum: Surge, c & sta h in medio. c Ille vero surgens stetit. h Et dixit ad illos Jesus: c Interrogabo vos aliquid: h Licet sabbatis benefacere, an malefacere? an animam servare, an c perdere b & occidere? At illi tacuerunt. a Ipse vero dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habebit ovem unam, & si ea incidit sabbatis in foveam, nonne apprehendet eam & eriget? Quanto igitur prestantior est homo ovis? Licet igitur sabbatis beneficio officere. h Et cum circumspexisset c omnes illos, b cum iracundia a condolens super cecitate cordis,

Harm. Tom. I. K 2 1827

Ἰ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ ἔτενον τὴν χεῖρά (ε. c. οἱ) ἐποίησεν  
 ἔτω, ε καὶ ἔτενε ἰ καὶ ἀποκατεστάθη ἡ χεῖρ αὐτοῦ ἰ  
 γυῖς, ὡς ἡ ἄλλη.

dis ipsorum, a tunc 1 dicit homini: *Extende manum  
 tuam, e ille autem fecit e & extendit 1 & restituta est  
 manus eius sana sicut altera.*

*Periocha hujus Historia.*

**O**Rdo historiae ita se habet. Pharisei observa-  
 tores, qui se Jesu Hierosolymis discedenti ad-  
 junxerant, non discesserunt ab eo, intenti in omnes  
 captandi occasiones. Et Jesus non subdixit se ab  
 illis observatoribus, abdens se in latrebras: sed  
 tunc maxime judicavit & voce & facto edendam  
 confessionem. Ideo in altero sabbato iterum in-  
 travit, non in vulgarem synagogam, ubi vulgus  
 tantum convenerat: sed sicut Matthaeus inquit: *(In  
 synagoga ipsorum,)* Scribarum scilicet & Phari-  
 saeorum, qui observabant Jesum. Et ibi tunc non  
 tantum, sicut alias fecit, auditor fuit: sed *(docuit)*  
 inquit Lucas & post doctrinam edidit miraculum  
 in ipsa synagoga. Et ordo historiae inde intelligi  
 potest. In conventibus sabbatorum ordine haec ag-  
 ebantur. Primum erat lectio Mosis & Prophetarum,  
 Acto. 15. v. 21. Luc. 4. v. 16. Secundum, sermo  
 exhortationis, Act. 13. v. 15. & 1. Cor. 14. 31. Ter-  
 tium, orationes, hymni, Psalmi, Act. 2. v. 42. & 47.  
 id quod & Psalmi indicant, quorum titulus est pro  
 sabbato: Quartum in templo addebantur sacrificia:  
 Quintum, fiebant collectae pro pauperibus. Exod. 23. v. 11. Levit. 23. v. 22. Num. 28. Act. 2. v. 24.  
 vocatur *κοινωνία*. Cum igitur in illo sabbato Je-  
 sus in synagoga docuisset, sicut Lucas annotavit,  
 & reliqua ad sabbatum pertinentia peracta essent,  
 pauperum coepit haberi ratio. Et verisimile est,  
 Jesum a cathedra docentium processum ad locum  
 ubi pauperes in angulo stabant. Mox enim jube-  
 tur in medium progredi. Erat autem inter paupe-  
 res ibi in synagoga homo habens *(manum aridam.)*  
 Lucas dicit dextram fuisse, ut cum labore victum  
 quaerere non posset, jure inter pauperes reputatus  
 fuerit. Vocatur autem manus *ξηρα*, sicut & Joh. 5.  
 v. 3. quidam vocantur *ξηροί*. Suidas simpliciter in-  
 terpretatur *Ξηρός ὁ ἄρσενος*, gracilis, extenuatus. Ita  
 hoc loco idem esset quod nos dicimus, Wenn ein-  
 nem ein Glied schwindet. Varinus dicit. Hipocratem  
 Gangranam vocare *Ξηρὸν σηπεδονα*, aridam put-  
 refactionem. Marcus utitur participio, *(Habens  
 manum ξηροῦ πάλιν.)* Et Graeci interpretes in hi-  
 storia Jeroboam, 3. Reg. 13. v. 4. eodem verbo uti-  
 tur. Ex cujus historiae collatione aliquid potest  
 colligi, quid hoc loco sit manus arida. Manus enim  
 Jeroboam, quam extenderat, ita exaruit, ut non  
 posset eam retrahere ad se. Et cum restitueretur  
 dicit historia: Reversa est manus regis ad eum. In  
 Ebraeo est verbum *וַיִּשָׁב*, quod de herba, de ramo,  
 de gramine usurpatur, quando humore & vigore  
 exarescunt. Et per Metaphoram ita dicuntur ossa  
 ex tristitia areseri, Proverb. 17. v. 22. & Psal. 22. v.  
 16. Exaruit tanquam testa robur meum. Significa-  
 tur igitur hoc loco manus enervata seu manca,  
 cujus nervi vim nativam amiserunt. Hieronymus  
 ex Evangelio Nazaeorum citat, hominem hunc  
 cementarium fuisse, & his verbis compellasse Je-  
 sum; Cementarius eram, manibus victum quaeri-  
 tans, precor te Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne  
 turpiter mendicem cibos. Sed nos Evangelistarum  
 certa narratione contenti sumus. Cum igitur reli-

quis in synagoga peractis Jesus ad locum paupe-  
 rum in synagoga accederet, inter quos hic miser  
 erat; Scribae & Pharisei, quia viderant, quid bis  
 jam continue ipsis videntibus in sabbatis Jesus fe-  
 cisset, Joh. 5. v. 6. & Luc. 6. v. 6. non dubitabant, idē  
 ipsum etiam in hoc misero homine facturum. *(Ob-  
 servabant igitur ipsum,)* non ut bonitatem & item  
 ejus agnoscerent & admirarentur: sed sicut  
 Evangelistae scribunt, ut possent accusationem vi-  
 olati sabbati contra ipsum, ut contra Legis ho-  
 stem & Moli contrarium, publice instituerent, si sab-  
 bato in ipsa synagoga sanaret, ubi magna populi  
 frequentia congregata aderat: unde plausibiliorē  
 speciem accusationi praetendere posse videbatur.  
 Ita Marcus & Lucas scribunt de Phariseis obser-  
 vantibus. Matthaei verò descriptio hunc ordinem  
 historiae indicat: Cum observatores illi viderent  
 Jesum non statim aliqui tentare in sanatione hu-  
 jus hominis, non potuerunt se continere, quin in  
 verba erumperent, proposita Christo hac quaesti-  
 one: *(An liceret sabbatis curare?)* Proposuerunt au-  
 tem illam quaestionem, non disputandi aut dis-  
 cendi gratia: sed quia paulo ante dixerat, se esse  
 Dominum sabbati, ut hac quaestione ipsum laeces-  
 serent ad edendum miraculum, ne si forte sana-  
 tionem illam tunc intermitteret, occasio accusa-  
 tionis ipsis elaberetur: praecipue verò, ut majori  
 invidia ipsum praegravare possent, si non tantum  
 facto solveret sabbatum, idē in ipsa synagoga, ve-  
 rum etiam si respondendo ad quaestionem publi-  
 cē in synagogis homines doceret violationē sab-  
 bati. Existimant autem Jesum hac quaestione con-  
 strictum teneri. Si enim dicat licere, haberet quā  
 quaerunt accusationem: si respondeat, non licere:  
 objicient, quod dixerat, filium hominis esse Do-  
 minum sabbati, aut propterea discipulos vellendis  
 spicis peccasse. Est autem exemplum, quod animo  
 prava doctrina infectus, malitia, invidia, fastus & o-  
 dio praecipue, nec verè discere, nec rectè ju-  
 dicare possit, sed in omnes occasiones intentus sit,  
 tantum ut ea, etiam quae optima sunt, qualis est  
 haec sanatio, calūniis deformet & depravet. Habe-  
 mus praeterea in hac historia egregiam doctrinā,  
 propter scandalum adversariorum acceptam, non  
 esse omittenda ea, quae recta, utilia & salutaria sunt,  
 sive sit doctrina, sive sit erroris refutatio, sive ex-  
 emplum libertatis. Imò post traditam doctrinam &  
 post exploratam adversariorum contumaciam, tunc  
 potissimum & voce & facto edendam confessio-  
 nem, quando veritatis adversarii observant, & o-  
 bliq̄ exigunt confessionē, sicut Pharisei hac qua-  
 estione. Tria enim exempla hujus libertatis seu co-  
 fessionis Jesus continue in brevi tempore edidit, cum  
 animadverteret se observari, 1. in Paschate, Joh. 5.  
 6. 2. in sabbato secundo primo, 3. in hac historia.  
 Jesus igitur cum cogitationes illorum, qui quaesti-  
 onē hanc proponebant, sicut Lucas scribit, sciret,  
 non directè ipsis respondit, sed ait misero illi homi-  
 ni: Surge & procede in medium synagoga. Idque  
 ideo factum est, ut omnes, qui in synagoga erant,  
 atten-

attenti redderentur ad secutum miraculum, vel sicut Chryostomus inquit, ut calamitas hujus hominis omnibus ob oculos poneretur, utque Pharisei hoc tristi spectaculo, à tam iniquo iudicio ad misericordiam flecterentur. Stante autem misero illo in medio synagoga & populi Jesus, quaestionem ipsorum opposita alia quaestione retundit & solvit. Sicut ulitatum est, ad captiosam quaestionem saepe non directè respondere: sed opposita alia planiore quaestione ostendere, ipso vel adversarii silentio vel confessione, quid respondendum sit.

Quaestionem igitur Jesus aliter, quam à Phariseis proposita fuerat, formavit hoc modo: Calamitatem miseri hujus hominis videtis, & nemo est vestrum, qui non iudicaret bonum opus esse, si quis manum ejus aridam posset sanitati restituere, hoc tantum in dubium vocatur, an sabbato hoc liceat facere. Interrogabo igitur vos, (*Utrum sabbatis licet benefacere, an malefacere?*) Innuans tam convenire sabbato benefacere, quam non convenire malefacere: Verba verò, *ἀγαθοποιῆσαι & κακοποιῆσαι*, non simpliciter significant opus aliquod, quod in se bonum vel malum est facere: sed sunt quasi Transitiva, sicut prodesse & nocere. Ita postterius usurpatur à Graecis, Levit. 5. v. 4. 1. Reg. 26. v. 21. Genes. 3. v. 6. Prius ita usurpatur, Num. 10. v. 32. Jud. 17. v. 13. Sensus igitur quaestionis est: An liceat sabbatis proximum vel beneficio vel injurià afficere. Et plenioris explicationis gratià additur: An liceat animam, hoc est vitam hominis, si possis, sabbatis servare, an verò negligendo eam perdere atque ita hominem occidere, sicut Marcus inquit. Et videtur Christus quaestionem illam formasse ex Esaia cap. 58. v. 3. & seq. qui locus si huc conferatur, tota disputatio planior erit. Ibi enim Deus inquit: Si quis sabbato debita repetat, litiget, contendat, pugno percutiat, non iudicatur violario sabbati, sed si quis proximo opere aliquo caritatis benefaciat sabbatis, statim est profanatio. Pharisei verò ad hanc Domini quaestionem tacebant. Non enim audebant dicere, Deum iussisse quidem alias benefacere, sed in sabbato hoc prohibuisse. Videbant enim ex bimembri Christi quaestione consecutum: Ergo ne male facere licebit sabbatis: Neque audent dicere, sabbatis nec bene nec male esse faciendum. Cum igitur non possent dicere, quod sabbatis liceret benefacere, nec vellent concedere, quod liceret benefacere, tacerunt. Et exemplum est Pharisaeica malitia, quae etiam cum veritate ita constricta est, ut contradicere non possit, sed tacere cogatur; non tamen vel veritati cedit vel animi calumniandi, dissentendi & repugnandi deponit.

Dignum verò est peculiari observatione, quod in necessitate proximi non est medium statuendum inter benefacere & malefacere.

Est enim Theologicum principium: Non benefacere, cum data occasione possis, & necessitate exigente debeas, idem esse ac malefacere. Atque ideo Christus tantum bimembrem facit divisionem: vel benefacere vel malefacere. Omissio enim beneficentiae refertur ad malefacta: praesertim ubi periculum est in omissione. Notetur autem ordo historiarum. Post illam enim quaestionem cum

Pharisei tacerent, sicut Marcus & Lucas scribunt, sequuntur ea quae Matthaeus habet. Facientibus igitur illis, ipse ait eis: (*Quis ex vobis homo, qui habet ovem, &c.*) Et observetur, cum sententiae Christi parum auctoritatis apud Phariseos haberent, quod responsum mutatur non à prava impiorum consuetudine: sed à more, quem à majoribus acceptum omnes, ut licitum & pium, usurpabant. Atque ita ex eo quod, confessum tunc usitatum apud omnes erat, concludit etiam ipsorum, licet taceant, testimonio, licere sabbatis beneficia praestare, si illis operibus non impediuntur ea, quae ad ministerium & ad cultum Dei ratione sabbati pertinent. Si enim, cui ovis incidat in foveam, nemo certè ex vobis, inquit, religione sabbati absterrebitur, quò minus labore manuum eam apprehendat & ita erigat, sublevet, seu extrahat. Illud enim hoc loco significat *ἐγείρειν*. Et qui hoc facit die sabbati, non iudicatur ideo reus violati sabbati. Luc. 13. v. 15. Christus utitur hoc exemplo: sabbatis post peracta ea quae ad ministerium & cultum sabbati pertinent, quisque vestrum solvit bovem & asinum à praesepi, & ducit aquatum. Et quia hac aequatione necessaria opera ministerii & cultus sabbati non impediuntur, iudicatis & vos licetè & rectè hoc fieri. Cumque extra omnem controversiam, homo ove, asino & bove multò praestantior sit. Beneficia ergò conferre proximo, praesertim si ministerium & cultus sabbati non impediatur, vel interrumpatur, etiam juxta vestram consuetudinem, non pugnat cum sanctificatione sabbati.

Subest verò in illa Antithesi ovis & hominis etiam illa notatio: Quòd ovem prolapsam sublevent proprii commodi gratia: Ipse verò ex merae caritatis & misericordiae affectu hominem sanet. Et illa exempla Christus ideo allegat, quia reliquiae sunt ex antiqua patrum consuetudine, monstrantes quid ipsi de operibus sabbato vel prohibitis vel licitis fenserint: & non dubiù est, consuetudinem hanc inde ortà fuisse, quia in tertio praeccepto expresse fit mentio bovis & asini. Et ex hac verè antiqua consuetudine, quam etiam Christus ipse approbat, rectè colligitur hæc regula: Opera beneficentiae quae exhibentur vel hominibus, vel jumentis: si illis non impediatur, vel interrumpatur ministerium & cultus sabbati, non esse prohibita sabbatis. Et dignum est observatione, quod Judaei antiquam illam patrum consuetudinem, quae tempore Christi adhuc usitata & probata fuit, postea aboleverunt. Nunc enim contrariam habent traditionem, quod sabbatis non liceat ovem, imò ne hominem quidem, si vel in cloacam ceciderit, extrahere: sicut Munsterus annotavit. Ita impietas in pejus semper proficit.

Cum vero hoc exemplum Christus adduxisset, & videret ipsos planè nihil moveri, (*circumspexit omnes illos, qui in synagoga erant, cum iracundia quadam*) Opposuerat enim miserum illum hominem & ovem collapsam, & de ove erigenda die sabbati nullam movent disputationem, quia ad privatum commodum hoc pertinet, ne ovis pereat. Et Luc. 14. vers. 5. inquit: Bovem statim extrahitis, hoc est non curatis, etiamsi sit interrumpendum ministerium sabbati. De homine verò restituyendo, etiamsi id sine chirurgica operatione fiat, &

quidem ita ut nec impediatur, nec interrumpatur ministeriū sabbati, meditantur capitalem accusationem, partim quia proximum non curant: partim invidia & odio Christi hoc faciunt. Christus igitur cum iracundia ipsos non tantum aspexit: sed circumducto, ad omnes qui in synagoga aderant, vultu circumspexit, an quisquam esset, qui à Phariseorum hypocrisis alienus, miseria manci tangeretur. Et quia iracundia in circumspiciendo fit mentio, sine dubio Evangelista simul indicare voluit, etiam severiora signa indignationis in vultu Christi. Pulcherrima autem est descriptio, quam solus Marcus hoc loco habet. Iracundiam Christi mixtam fuisse cum condolentia seu commiseratione super duritiam cordis. Quod enim inquit *συλπαόμενος*, præpositio *σύν* ostendit, illud referendum esse ad circumspiciendum cum iracundia, cui mixta fuit condolentia.

Et valdè pulchra est descriptio, quando Mediatorem & Pontificem nostrum contumacia & duritie cordis nostri ad justam iram provocamus, quod in ipsa iustissima ira simul doleat & contristetur de contumaci nostra duritie: quia recordatur, qualem creaturam condiderit, quam redemerit, quam sanctificavit. Verè igitur multò magis, & verius quàm pastor de ovè, pater de filio pertinaci, anxius & sollicitus est de nobis, etiam quando justè irascitur. Irascens quidem ob duritiam: sed simul dolens de perditione. Hæc bene meditata multa mōent, ne abutamur mansuetudine irascentis Christi: nec desperemus, si ipsum iratum senserimus. Et hinc colligitur, Christum ab affectibus humanis, ut ira, dolore, seu tristitia non fuisse alienum. Et quia Christus fuit sine peccato: affectus igitur illi per se non sunt vitiosi, nisi accedat *ἀραξία*, hoc est, irregularitas vel excessus. Habemus autem exemplar in Christo, quales futuri fuissent affectus in natura integra. Et simul ostenditur, quo temperamento moderandus sit verus zelus, ut scilicet zelus & oriatur ex condolentia, hoc est, ex amore justitiæ & veritatis, utque in zelo mixta sit iracundia cum condolentia, hoc est, ut ita non propriè contra homines, sed contra impietatem hominum excandescamus, ut simul ipsis hominibus vere condoleamus, hoc est, tristemur, anxii & solliciti simus de ipsorum impietate, cæcitate, duritie & secutura inde perditione. Ita ergò peccantibus ex zelo Dei, & virtutis irascamur, ut simul affectu caritatis & misericordiae condoleamus: irà commotà contra vitium, condolentia verò erga homines. Vocat autem *σπίλον* cordis; vetus interpretes reddidit cæcitate cordis. Græci enim interpretes oculis hoc vocabulum tribuunt, Job 17. vers. 7. Propriè autem significat Græcis callosam concretionem, instar topi, ut in articulis podagricorum quæ in membro callo obducto non facillè admittit tactum & sensum: sed duritie sua quasi re-

pellit, ut non sentiat, & est illustris descriptio, quomodo malum propositum consuetudine & pertinaciâ obduratum, callum obducit cordi, ut à veritate vel evidentissima, non afficiatur, nullis vel minis vel promissionibus tangatur, ut sensum aliquem admittat. Et hæc tota descriptio Marci præcipuè observanda est in hac historia.

Ipsa verò restitutio manus aridæ ita facta est. Cum Jesus aliquandiu, ita sicut dictum est, circumspexisset, cœpit sanationem; suo exemplo docens, propter obstinatam adversariorum malitiam non esse abstinendum à bono opere, quando ejus ratio vera & pia constat & exposita est. Non autem apprehendit ipsius manum, nec tetigit eam, sicut aliàs solet, ut hoc prætextu Phariseorum calumniam destrueret, & ne infirmos, qui in synagoga illa aderant, offenderet. Ostendens hoc exemplo, quomodo utrinque moderanda sit libertas, ne vel infirmis offendiculum, vel adversariis occasionem criminandi præbeamus. Hoc ipsum verò miraculum facit illustrius, quòd absque contactu & externo adminiculo ipse mancus, quòd impossibile antea erat, manum repente extendit. (*Dixit igitur homini: Extende manum tuam.*) Colligitur autem ex his verbis, morbum ejus non fuisse talem, sicut de Jeroboam 3. Reg. 13. v. 4. scribitur quòd non potuerit manum ad se retrahere, sed planè contrariù, quòd scilicet dextram manum, non potuerit vel movere vel extendere. Cum verò homo ille, id quòd justus erat, conaretur facere, in ipso conatu extensionis manus statim restituta est, *ut esset sana sicut altera*. Quibus verbis ostenditur, illic hoc miraculo & potentiam loco motivam nervis restitutam, & pristinam formam seu figuram manui redditam, quæ non tantum manca, sed are facta fuerat.

Quid verò consecutum sit ex hoc miraculo, & fructus apud bonos, & invidia apud Phariseos, in sequenti historia exponemus. Quæ verò ad doctrinam de sabbato pertinent, antea sunt explicata. Beda ex Ambrosio sentit, per manum hanc designari Adamum cum tota posteritate, cujus manus dextera, quam, ad decerpendum vitæ arboris fructum, extenderat, ad operationes verò bonas obtorpuit & exaruit: sinistra verò valet ad mala operanda nimium facilis & expedita. Veniat igitur mancus Adam in conspectum JESU, prodeat in medium synagogæ, ubi JESUS docet, ut verbo ejus per afflatum Spiritus sanetur: non ut otiosa sit manus, vel mala operetur, sed inquit: *Extende manum juxta verbum & mandatum Christi.*

## CAPUT XLIX.

## CONTINENS HISTORIAM, DE CONSPIRATIONE PHARISÆORUM CUM HERODIANIS, PROPTER PRÆCEDENS MIRACLUM: DE SECESSU CHRISTI: QUID IN SECESSU ILLO EGERIT: ET QUÆ TURBÆ IPSUM SECUTÆ SINT, MATTHÆI 12. MARCI 3. LUCÆ 6.

## RATIO ORDINIS.

**D**E hac consecutione historiarum nulla potest esse controversia. Tribus enim Evangelistis simul propositum fuit describere, quid post & propter miraculum sanatae manus aridæ in Galilæa consecutum sit, & apud adverfa-

rios Pharisæos, & apud turbas sectatrices Jesu. Non autem unius diei historia est, sed aliquantò longiusculi temporis, quo in secessu illo mansit Jesus: sicut in explicatione circumstantiarum ostendemus.

## HISTORIA DE CONSPIRATIONE PHARISÆORUM CUM HERODIANIS: ET DE SECESSU JESU AD MARE: QUIDQUE IN ILLO SECESSU ACTUM SIT.

## MATTH. 12.

14. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον κατ' αὐτὸ ἐξελθόντες, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσιν.
15. Ὁ δὲ Ἰησοῦς γινῶσ, ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς πάντας.
16. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν.
17. Ὅπως πληρωθῆ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἠσαΐα ἔ προφήτε, λέγοντος·
18. Ἦδὲ ὁ παῖς μου, ὃν ἠρέτισα ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχὴ μου. Θύσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν καὶ κείσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελίαν.
19. Οὐκ ἠρίσει, οὐδὲ κραυγάζσει, οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τῆ φωνῆ αὐτοῦ.
20. Κάλυμνον συντριμμένον ἔ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον ἔ σφύσει, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς τὴν κείσιν.
21. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλαπίσωσιν.
14. Porro Pharisei egressi ceperunt consilium adversus eum, quomodo illum perderent.
15. At Jesus ubi novisset, secessit illinc, secutusq; sunt eum turbae multae, & sanavit eos omnes.
16. Et interminatus est illis ne facerent manifestum.
17. Ut compleretur, quod dictum erat per Esaiam Prophetam, qui ait:
18. Ecce Filius meus, quem elegi, dilectus meus, in quo sibi bene complacuit anima mea: ponam Spiritum meum super illum, & iudicium Gentibus annuntiabit.
19. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet quisquam in plateis vocem ejus.
20. Arundinem comminutam non confringet, & limum fumigans non extinguet, donec ejiciet ad victoriam iudicium.
21. Et in nomine illius Gentes sperabunt.

## MARC. 3.

6. Καὶ ἐξελθόντες οἱ Φαρισαῖοι εὐθέως μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν συμβούλιον ἔποιον κατ' αὐτὸν, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσιν.
7. Καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς τὴν θάλασσαν, καὶ πολὺ πλῆθος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας.
8. Καὶ ἀπὸ Ἱερουσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τῆ Ἰορδάνου, καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνος, πλῆθος πολὺ, ἀκούσαντες ὅσα ἐποίει, ἦλθον πρὸς αὐτόν.
9. Καὶ ἔπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοίασιν προσκατεργήσιν αὐτῷ, διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλιβῶσιν αὐτόν.
10. Πολλοὶ γὰρ ἐθεράπευσεν, ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτὸς ἀψῶνται, ὅσοι ἔχον μαστιγὰς.
11. Καὶ τὰ ἀνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν εἶδωσιν, προσέπιπτεν αὐτῷ, καὶ ἐκραζέοντες λέγοντες· ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.
12. Καὶ πολλὰ ἐπετίμα αὐτοῖς, ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσιν.
6. Egressi verò Pharisei statim, unâ cum Herodianis consilium inibant adversus eum, ut illum perderent.
7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare. Et ingens multitudo à Galilæa secuta est eum, & ab Iudæa.
8. Et ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui cum audissent quæ faciebat, venerunt ad eum.
9. Et iussit discipulis suis, ut navicula sibi defervirent propter turbam, ne ipsum premerent.
10. Multos enim sanaverat ita ut irruerent in eum, quò illum tangerent, quotquot affligebantur.
11. Et Spiritus immundi, cum illum vidissent, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.
12. Et vehementer interminabatur eis, ne se manifestum facerent.

## LUCÆ 6.